



Prot. N. 02049/2023-308/23/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Mariano Crociata, Episcopo Latinensi-Terracinensi-Setino-Privernensi, occasione sollemni in honorem Sancti Thomae de Aquino celebrationum quae, a die XVIII Iulii MMXXIII usque ad diem VII Martii MMXXV, in Abbatia peragentur Fossanovensi, praefatae Dioeceseos, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Abbatiam Fossanovensem in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus celebrationibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Thomae exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Thomae de Aquino, Ecclesiae Doctoris.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram Sancti Thomae imagine iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XIV mensis Iulii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Maurus Card. Diage*

*Christophorus Nykiel  
Episcopus*